



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

8. An clericus percutiens se ipsum incurrat in censuram Canonis? Et quis si ipse consentiat in suam percussione, an talis percutiens, & ipse Clericus percussus pro excommunicatis habendi sint? Et an ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

2. Quod si Clericus esset Prælati, tunc illius percussio esset contra observantiam, quæ ut docet D. Thomas 2.2.9.102 cultum deferat Prælati, & omnibus superioribus, tanquam nostræ gubernationis authoribus; sicuti pietas parentibus, tanquam nostræ vitæ principis. Vnde homicidium Principis malitiam specialem lethalem habet contra observantiam: idemque sentio de gravi contumelia, aut vulneratione: non autem de quacunque detractio, etiam si lethalem malitiam contineat: bene enim componitur, detractio, gravem malitiam contra iustitiam continere, & levem contra pietatem. Nec si rixa oriatur inter privatum hominem, & inferiorem alium Iudicem, causa nullo modo pertinente ad officium Iudicis, (veluti, si Prætor, ut persona privata, injuriam aliquam intulisset, v.g. filiam, aut uxorem civis ad turpia provocasset; vel similem injuriam patiens, vellet vindictam sumere autoritate Iudicis non interveniente, provocando ad singulare certamen inferentem in iuriam, & in eo casu privatus homo Iudicem intericeret,) malitiam gravem impietatis agnoscerem. In eo enim casu non contemneretur authoritas Iudicis à Principe dimanans. Secus esset, si Iudex occideretur propter sententiam ab eo latam, vel alium actum Iudicis exequutum.

3. Facilius hæc impietatis malitia reperitur in iustis erga Superiores Ecclesiasticos, maxime Regulares: propter maiorem conjunctionem eum illis: quapropter omnem percussione Episcopi, & omnem contumeliam in eundem iactatam, quæ malitiam gravem in iustitiæ attingeret, gravi etiam malitia contra observantiam inficiendam esse existimo. In his enim Prælati bonum nomen, integritas honoris, & fana, & reverentia à subditis debita, valde necessaria est. Similiter omnem gravem percussione contra iustitiam Prælati regularis habentis iurisdictionem ordinariam, veluti Abbatis, Prioris, aut Rectoris, censeo gravem malitiam contrahere contra observantiam illi debitam: & idem iudicio de quacunque gravi contumelia contra iustitiam. Ratio est: quia Superiores religiosi non solum sunt Partes spirituales, sed etiam sunt loco Patrum carnalium in rebus temporalibus. Ob hanc rationem ait Agid, *disp. 2. de char. n. 152*, ut minimum melius factum Prælatum religiosum, si fratribus carnalibus præferat subditum religiosum, & valde probabile putat, posse illum præferre proprio carnali filio non solum in distributione bonorum Monasterii, in quibus in æquali necessitate etiam patri suum subditum debet præferre, sed etiam in distributione elemosynæ ab aliis impetratæ, cuius Superior alias habet liberam dispositionem. Et hæc omnia docet, ut semper solet, asserit Oviedo *ubi supra*, ex quibus patet responsio ad quæsitum propositum.

RESOL. VII.

An Clericus voluntarie percussit se ipsum incurrat in excommunicationem Canonis. Si quis suadente? Et an Cardinalis seipsum percussit, aut vulnerans, in supradictam excommunicationem incurrat? Et an Monialis, quæ potione, aut venæ scissione aborsum intendit, incurrat in prædictam excommunicationem? Ex part. 3. tract. 5. & Misc. 1. Refol. 82. alias 81.

§. 1. Affirmativam sententiam docent 30. Doctores, quos citat, & sequitur Carolus de Graffis de effectibus Clericatus effect. 9. n. 82. quibus ego addo Suarez de cens. disp. 22. sect. 1. n. 59. Molinam de iust. tom. 4. tract. 3. disp. 51. n. 4. Layman in Theol. moral. lib. 2. tract. 5. part. 2. c. 5. n. 5. Fillucium tom. 1. tract. 15. cap. 1. n. 33. Reginaldum tom. 1. lib. 1. c. 1. n. 209. Avilam de cens.

p. 2. c. 5. disp. 3. lib. 1. dub. 12. Belletrum in disquis. Cler. p. 1. tit. de favore Clericorum Canon. §. 1. n. 11. Fernandez in exam. Theol. moral. p. 2. c. 9. §. 20. n. 20. Sayrunda de censuris, lib. 2. c. 26. n. 10. Giphium de censuris, c. 3. n. 27. Gutierrez de iuram. confirmatorio, part. 1. c. 16. n. 64. Raynetium in Catalogo censurarum, §. 9. excom. 1. n. 6. Villalobos in sum. tom. 1. tract. 17. disp. 22. n. 10 & alios penes ipsos. Probatur hæc opinio; primò, quia Canon, si quis suadente, non tam in favorem personæ, quam in favorem ordinis Clericalis effectus est, ut patet ex cap. contingit, de sent. excomm. ergo Clericus, qui voluntarie percussit se ipsum, incurrit in excommunicationem, quia non nequit ad hoc consentire cum injuria fiat toti ordini Clericali. Secundò, probatur ex cans. non licet 23. q. 5. ubi habetur plus esse homicidam qui se occidit, quam qui occidit alium; ergo &c.

2. Sed his non obstantibus negativam sententiam novissimè putat esse probabiliorē Turrianus de cens. lib. 3. disp. 29. dub. 2. Primò, quia prædictus Canon, si quis suadente, manifestè loquitur de persona distincta à percussente Clericum. Secundò, quia oppositum nullo iure probatur, nam cap. contingit, loquitur de actione in iuriis, de qua loquitur Canon, si quis; & hic, ut dixi, de actione alterius personæ loquitur.

3. Neque est idoneum fundamentum in eo capite ad dicendum, talem censuram ligare Clericum se ipsum percussentem, aliud verò majoris momenti est, sed dico, quod licet dicatur magis homicida, qui se ipsum interficit, quam qui interficit alium; tamen, hoc nihil refert ad probandum in prædicto Canone, si quis suadente, sermonem esse etiam de ipso Clerico se percussente, & hoc multi putant probabile. Hæc omnia Turrianus, & ante illum ex neotericis docet etiam hanc sententiam doctus Barbosa in collectan. tom. 4. part. 2. decreti, causa 17. q. 4. n. 38. & 39. qui probat hanc sententiam ex ipsomet. contingit, & responderet ad argumentum, quod hoc privilegium sit necessarium Ordini Clericali, & quod non possit à Clerico renuntiari; lege illum, & non pigebit.

4. Sed quidquid sit de hac opinione, non gravabor tamen hæc obiter adnotare celebrem doctrinam Ludovici Molinae de iust. tom. 4. tract. 3. disp. 51. n. 4. qui ex Cajetano merito affirmat, Monialem, quæ potione aut venæ scissione aborsum intendit, non incurrere hanc excommunicationem, eo quod ea manus in jectio in se ipsam sui comparatione violenta, injuriola, ac contumeliosa non sit, quippe cum volenti & consentienti, violentia in injuriola, ac contumeliosa non sit; neque item injuriola est statui Ecclesiastico; ergo, &c.

5. Notandum est etiam hic obiter contra Duardum in Bull. Cen. q. 8. n. 8. & q. 22. n. 2. Cardinalem se ipsum percussentem, aut vulnerantem non incurrere in excommunicationem dictæ Bullæ, & ita probabiliter docet novissimè Bonacin. 2. 3. disp. 1. q. 12. punct. 3. n. 3.

Sup. hoc inf. in ref. 47. & 48 & in ref. 32. §. Sed ad medium.

Sup. hoc in tom. 9. tit. 7. ref. 82. per totam.

RESOL. VIII.

An Clericus percussit se ipsum incurrat in censuram Canonis?

Et quid, si ipse consentiat in suam percussione, an talis percussit, & ipse Clericus percussus pro excommunicationis habendi sine?

Et an Clerici, qui in luctu ex morte amicorum se alapis cadunt, capillosque evellunt, incidunt in excommunicationem Canonis? Ex part. 9. tract. 4. Refol. 8.

§. 1. Affirmativè respondent Doctores quos citat, & sequitur Megala in 3. part. Instit. Confess. lib. 4. c. 1. quest. 1. num. 5. Quia in cap. Si non licet. 23. quæst. 5. habetur plus esse homicidam, qui se occidit,

Sup. hoc in ref. præterita, & in alia ejus primæ annot.

4 quam

quàm qui alium: ergo à fortiori etiam Clericus, qui se percutit, contrahit censuram necessarium, etenim percussio hæc ponenda est in specie sacrilegij; cum qui percutitur, sit persona sacra. Nec dicas, textum nostrum verbis facere de tertia persona, & penas non esse ampliandas. Nam respondetur, textum hanc tertia personæ distinctionem non facere, sed simpliciter excommunicare eum, qui, suadente Diabolo, violentas manus in Clericum, vel Monachum iniicit. Sed hoc facit Clericus se ipsum percutions: ergo hac censura ligatur.

2. Unde non deferam hic apponere verba Gordoni in Summa, tom. 2. lib. 7. q. 13. §. 3. n. 33, sic asserentis: [Sed, quid, si Clericus ipse consentiat in suam percussione, aut etiam seipsum percutiat? Respondeo non obstat hunc consensum, quin percussor incidat in hanc penam: nam Canon hic non tam in favorem Clerici, quam status clericalis editus est: ac proinde nec ipsi Clerico licet consentire in hanc injuriam, cum sit percussio injuriosa statui Ecclesiastico. Sic Cajetan. c. 10. notab. 3. & constat ex cap. Contingit. 1. de sent. excomm. & Gloss. ibid. cum Panormitano. Nec obstat, quod volenti non fiat injuria: licet enim velit hoc Clericus percussus, non tamen id vult Ecclesiasticus status. Ex quibus primò inferitur, Clericum, si seipsum ex peccato mortali percutiat, incidere in hanc penam.

3. Sed ego alibi, & nunc iterum puto cum Castro Palao tom. 6. disp. 3. punct. 23. n. 4. Clericum seipsum percutientem non incurere in censuram probabiliter sustineri posse: quia Pontifex videtur loquutus de tertia persona offendente, & ab offenso distincta, ut colligitur ex illis verbis: *Si quis, suadente Diabolo, manus violentas in Clericum infecerit*, &c. Et ita, me citato, hanc sententiam tenet Baunius in Theol. mor. tom. 2. disp. 5. tract. 4. q. 2. Primò, ait ille, quia Canon, *Si quis, manifeste loquitur de persona distincta à percussione, ut indicant hæc verba: Si quis, suadente Diabolo, in Clericum violentas manus infecerit*. Secundò, quia Innocentius II. in eo Canone exigit ad effectum incurrendæ excommunicationis, ut violentia inferatur Clerico, qui percutitur: at, et si Clericus se percutions Ordini Clericorum in injuriam faciat, ut habet Canon, *Contingit. 36. de sent.* non tamen violentiam sibi ullam affert, cum id volens, & sciens agat, ut significat Innocentius in Decretalis citata, his verbis: *Respondeo, quod hujusmodi manus injectio, etsi non violenta, tamen injuriosa videtur, cum ille Canon non tam in favorem Clerici ordinari, quàm in favorem Ordinis clericalis fuerit promulgatus*. Tertio, quia in Canone cit. de sent. Innocentius III. non dicit, eos, qui hæcenus Clericos percusserunt, eorum precibus inducti, excommunicationem incurrisse; quod tamen tacendum non fuerat; si res ita se habuisset: nam hoc erat in questione: sed prohibendos, ne id in posterum faciant. Quartò, quia in eodem Canone dicitur, quod Clericus, qui post prohibitionem cõsentit in hujusmodi percussione, sit tantum excommunicandus, non autem quod sit excommunicatus ipso facto: ut fuisset necesse, si percussioni Clerici, facta ejus voluntate, ipso facto esset excommunicatio adjuncta; nam tunc, ut habetur in cap. *Quante 47. de sent. excomm.* tam Clericus, quàm qui ejus voluntate, ac imperio eum verberibus afficeret, pro excommunicato habendus esset: cum facientes, & consentientes, pari poena plectendos, Catholica condemnnet auctoritas Innoc. III. *Quartum, de sent. excomm.* Dixi, si ex peccato, &c. ad excludendam penitentiam, religionis, & pietatis causa susceptam, aut eos insuper, qui in luctu ex morte amicorum se alapis cadunt, capillisve evellunt. Vide etiam Leonem de censur. recollect. §. n. 126. qui, me citato, nostram sententiam, tanquam probabilem, contra immodestiam cujusdam Neoterici admittit, & defendit.

RESOL. IX.

An si duo Clerici, ensibus distinctis, unus contra alium digladiantur, incurrant in censuram?

Et inferitur, quod qui animo deliberato per vestes Clericum apprehendit, aut percutit, suadente Diabolo, quid corpori Clerici adherens, puta equum, cui Clericus insidet, vulnerat, aut ei injuriam infert, vel si quis de manu Clerici per vim auferat ens, aut illum de latere per injuriam eripiat, aut galerum, seu pileum de capite &c. est excommunicatus.

Et an volens percutere Clericum gladio, vel sagitta, aut istum, & casu aberret, illumque non attingat, etiamque si sagittam emittat, vel istum dirigat, incurrat excommunicationem?

Et notatur eum, qui adhuc non est initiatus prima tonsura, esse in habitu Clericali incedat, inferendo Ecclesie animo ascendendi ad statum Clericalem non gaudere privilegio Canonis, & de Clerici Salvatici idem dicendum est. Ex p. 9. tr. 4. Ref. 4.

§. 1. POnit hunc casum Fragosus in Repab. Clerici, tom. 2. par. 2. lib. 1. disp. 2. §. 1. n. 13, ubi sic ait: Quæstio tamen est, quando duo Clerici se se invicem, gladiis distinctis, invadunt, & digladiantur alter in alterum irruendo, intentione, & animo se percutionis: nullus tamen percussus fuit; sed uterque ictus in se coniectos ensibus sustinuit, utrum sint excommunicati? Pars affirmans ex eo videtur probari: quia qui animo deliberato per vestes Clericum apprehendit, aut percutit, suadente Diabolo aliquid corpori Clerici adherens, puta equum, cui Clericus insidet, vulnerat, aut ei in injuriam infert, est excommunicatus, vel tradit communiter Philarch. lib. 2. de officio sacerdotali. c. 3. §. Angles in 4. q. de excomm. art. 6. disp. 3. com. 1. ergo, qui mutuis ictibus percutiunt enses, quibus se defendunt, incidunt in hunc Canonem: quia adherent manibus clericibus. Confirmatur, quia, si quis de manibus Clerici per vim auferat ens, aut illum de latere per injuriam eripiat, aut galerum, seu pileum de capite, non est dubium incurrisse in supradictam censuram: igitur in nostro casu idem dicendum est.

2. Pars tamen negans est sequenda: quia re ipsa, ut supponitur, neuter ex illis percussus fuit, nec tactus ab ense alterius, quamvis animo percutionis in alterum multiplicatos ictus coniecisset, & vibrasset. Ratio: quia excommunicatio hæc non fertur, nisi ob percussione realiter factam, & ob injuriam revera illatam, non verò incurrendam. Ita colligitur ex Hostien. in Summa, lib. 5. tit. de sent. excommunicationis, §. In primis n. 9. Paludano in 4. disp. 18. q. 3. art. 3. Summa Altenfi part. 2. lib. 7. tit. 3. art. 2. q. 7. & 19. Angelica verb. Excommunicatio, §. n. 29. & aliis, quos referens sequitur Sayrus de censur. lib. 3. c. 26. m. 2. 1. quia in hoc casu non est injectio manus in Clerici personam, vel in res Clerico adherentes; & exceptis quibusdam casibus expressis, in reliquis verba sunt intelligenda cum effectu, argumento cap. Relatum de Clerico non residente.

3. Nec sufficit, ut incurrat excommunicatio, conatus sine effectu, seu motus verbalis tantum sine tactu aliquo violento, aut realiquamvis ad sit intentio, proinde si quis absque manuum injectione, vel detractione corporali compellat Clericum ad se redimendum, vel aliquid illi largiendum, aut vibret hastam, dum, vel aliquid illi largiendum, volens eum percutere, & non percutiat, non incurrit in hunc Canonem. Et hæc omnia docet Fragosus, cui ego adhareo.

4. Unde ex his sequitur, quod volens percutere Clericum gladio, vel sagitta, vel ictu, & casu aberret, illumque